



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 18. An certum sit, quod infidelitas purè negativa sit inculpabilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

est hæc 35. omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. 40: In omnibus suis actibus peccator servit dominantī cupiditati. Similiter inter damnatas ab Alex. VIII hæc est 8: , necesse est Infidelem in omni opere peccare. Conatur quidem Sinnichius ostendere aliqua opera Infidelium posse esse bona, eò quòd possit eis lux à Deo immitti, per quam ad Deum opus dirigant, sed neque hoc negat Bajus, in cuius sensu damnata est propositio: itaque dicendum, non omnia opera Infidelium esse peccata, quia possunt ex fine honesto elicere actus, v. g. succurrere miseris, obedire Parentibus &c., quæ nemo prudens dicet esse peccata: hinc inter Bajanæ damnata est hæc 37: , cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis omnibus ortum ducit, agnoscit.

Opponunt S. Aug. l. 4. contra Julia: c. 3., qui 75  
Juliano quærenti, si Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? respondet: prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. R. S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. rectè sic explicat, actus Infidelis, in quantum est Infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat vel quidquid aliud huiusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Similiter S. Aug. eo sensu virtutes Philosophorum vocat vitia, quo opus carens fine debito & necessario dicitur defectuosum seu vitiosum.

Q: 18. Ancertum sit, quòd infidelitas purè nega- 76  
tiva sit inculpabilis. R. Esse certum, nam etiam inter Bajanæ est hæc 68. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

Ratio autem est , quia certum est omne peccatum debere esse voluntarium , ergo cum infidelitas negativa nullum habeat adjunctum actum voluntatis , qui intendat vel negligat eam removere , certum est non esse peccatum. Quæ contra objici possent , abundè soluta sunt l. 1. à n. 720. & 727.

77 *Q. 19. Quam potestatem habeant Ecclesia & Principes Catholici circa Infideles. R. §. 1. Ecclesia secundum Cap: Gaudeamus, de divortis, non habet directam potestatem in Infideles non baptizatos, nam Christus dedit Petro potestatem tantum in Oves ingressas ovile, ideoque etiam Trid. s. 14. c. 2. dicit Ecclesiam non posse in illos exercere Judicium, secundum illud 1. ad Cor. 2. quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? & consequenter nec poterit eos punire. Si Dicas, posse defendi jus innocentis & vindicari injuriam ipsi factam, ergo etiam posse Ecclesiam defendere jus, quod habet Deus, ne offendatur, & vindicare injuriam per peccatum factam. R. Tum tantum potest defendi jus & vindicari injuria innocentis, quando innocens hoc vult, vel saltem permittit; Deus autem potens ipsemet defendere & vindicare, id non permittit hominibus passim, ne dentur occasiones perpetuorum bellorum & confusio-  
num.*

78 *§. 2. Omnes baptizati possunt etiam per poenas adigi ad fidem catholicam profitendam, sunt enim subditi Ecclesiae, maximè quoad ea, quæ salutem spectant. Nec obstat, quòd fortè nunquam crediderint, nam re ipsa per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, & subjecerunt se ejus potestati ac legibus. Econtra non baptizati, nec subjecti*  
Prin-